UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XIV. De aliis quibusdam extraordinariis purgationis modis, quibus etiam Incipientes à Deo probari aliquando solent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

tione, quantumlibet magna & multiplici, deterreri aut contriſtari poſſe (ut qui ad majora propter DEUM toleranda ſemper inveniantur parati) niſi dumtaxat illa, quæ obdurationem, invidentiam contra DEUM, aut ab illo averſionem per peccatum præ ſe fert; ideò ejuſmodi impugnationibus occultiſſimo ſuo judicio eos probari ac purgari permittit.

Interdum etiam contingit, tentationum iſtarum violentiam ex indiſcretione aut defectu eorū qui eis afficiuntur, proficiſci: nam in his qui naturâ multùm activi & vehementes ſunt, in interiori ad DEUM converſione tam vehemens fit eorum impulſus, ut inde cor ceteræq; corporis vires valdè lædantur ac vulnerentur, ut ſuprà diximus. Igitur quando contingit devotionem à DEO ipſis ſubtrahi, volentes per vim ſubtractam devotionem recuperare, valdè indiſcretè violentis aſpirationibus exercentur. Quantò verò ampliùs pro recuperanda hac laborant, eò magis ab omni ſpirituali ſenſu longiores fiunt, tandem ex quadam impatientia in tam magnum tamq; violentum aſpirationis impetum aliquando prorumpunt, quo eorum cor ita indiſpoſitum redditur, ut poſteà vix poſſit reformari. Unde apparet his, quodammodo ſe non habere poteſtatem ſupra inferiores animæ vires, quæ in corde radicantur, imò nec ullam reſiſtentiam in vi iraſcibili aut concupiſcibili, ita ut ſibi in omnibus conſentire videantur. Oritur ex his in eorum animis magna tribulatio, deſperatio, obduratio, obcæcatio, perverſitas, infernalis invidentia, quę in inferiori homine videntur regnare, quamvis in ſuperioribus viribus, quæ ab omni corporeo vinculo liberæ ſunt, diſplicentia inveniatur: nam vis animæ ſuperior, tentationem & malitiam in inferioribus viribus regnantem conſpicit, ac quòd inferiores veluti victæ hujuſmodi fœtidis diabolicisq; tentationibus jacent, eaq; de cauſa infallibili preſſura ac afflictionibus portio illa ſuperior obruitur, inde jam oritur in ipſis magna cordis amaritudo & tædium, ita ut & ſibi ipſis, & omnibus cum quibus converſantur, efficiuntur valdè oneroſi, incipiuntq; pro ſua indiſcretione pœnas luere; poterunt tamen multum in his mereri, ſi patienter ac longanimiter ſuſtineant. Nam quamvis in impetu & violentia illius magnæ preſſuræ, aut infernalis invidentiæ atque malitiæ, ſui non eſſe compotes videantur; tranſacto tamen illo, dolere debent ſecundùm ſuperiorem partem de omnibus defectibus commiſſis, & voluntatem ſuam in divinam reſignare, orando DEUM ut ſibi de præteritis ignoſcat, & protegat in futuris imminentibus periculis.

Sed quia alicui, quæ diximus, incredibilia forſan videri poſſent, mirabile B. Angelæ de Fulginio purgationis & tentationum, quas illa paſſa eſt, exemplum ſequenti *capite* 15. adjiciam.

CAPUT XIV.

De aliis quibusdam extraordinariis purgationis modis, quibus etiam Incipientes à DEO probari aliquando ſolent.

Conſulend. noſter Philipp. 1.

NON ſine ſingulari divina providentia ſolet etiam DEUS permittere, ut anima viam purgativam ſupernaturalem ingreſſa, inſolitis modis quoad internos & externos ſenſus purgetur. Aliquando enim viſui horrenda ſpectra diabolica non ſolùm in ſomniis, ſed & in vigiliis; non ſolùm apertis, ſed & clauſis oculis objiciuntur, quæ nullo modo effugere poteſt. Quandoque tremendos fragores, ululatus, rugitus, grunnitus animalium ferocium omnis generis audit. Aliquando olfactus ſulphureis fœtoribus & infernalibus diutiſſimè vexatur. Nonnumquam guſtus amaritudinibus moleſtiſſimis afficitur, neque ullum in cibo potuq; ſaporem, aut vel minimam oblectationē reperit. Denique tactus variis modis affligitur: quandoque enim verberibus dæmonum multiformiter cruciatur, aliàs per membra corporis beſtiæ fœtidiſſimæ ſubeunt, uti ſerpentes, & bufones, & ſimiles, cum ingenti ſenſualitatis abominatione & repugnantia. Imaginatio etiam ſpurciſſimis luxuriæ imaginibus ad vivum depingitur cum omnimoda partis inferioris inflammatione, etiam in exercitiis, locis, ac temporibus ſacrationibus. Intellectus ſpiritu infidelitatis, voluntas ſpiritu odii ac blaſphemiæ in DEUM ac deſperationis torquetur, & innumeris aliis modis pars ſenſitiva hominis exercetur permittente DEO, ut purificetur, & ad divina chariſmata recipienda dignior fiat. Eò enim anima aptior ad capeſſenda divina redditur, quò purgatior & purior invenitur; ad menſuram enim divinæ purgationis, lucis & amoris abundantia conceditur.

part. ſumma Theolog. myſtic. Tract. 3. & Directorium myſticū Antonii à Spiritu S. *Tract.* 2. *diſp.* 4. 5. & 6.

Hæ & aliæ ſimiles purgationes non æqualiter omnibus evenire, neque omnes ſimul, neque æqualiter durare ſolent; aliqui enim hac, alii illa, alii ferè omnibus exercentur: quidam duobus tantùm annis, ſicut beatus *Franciſcus*; alii decem, ſicut legitur de *Henrico Suſone*; alii ſeptemdecim, ut B. *Maria Ægyptiaca*; aliquando octodecim, ſicut B. Matri noſtræ *Tereſiæ* contigit, pro divino beneplacito mirabiliter purgantur.

Vid. B. P. Joan. à Cruce *lib. 2. noctis obſcuræ cap.* 23

CAPUT XV.

Exemplum mirabilis purgationis B. ANGELÆ DE FULGINIO.

POSTQUAM B. *Angela* in principio ſuæ converſionis divini fontis dulcedinem ac mirā DEI ſuavitatem tam in corde quàm in corpore experta eſt, DEUS illius fidelitatem probare ac experiri volens, eam ſpiritualibus nequitiis, veluti alterum Job, tentandam, non ſine divina providentia multis modis permiſit, quos eiſdem verbis, quibus Auctor ejus Vitæ narravit, ſcribam. Igitur ille *Cap.* 19. ita inquit:

Legend. noſt. Balthaſar in *Cap.* 1. *manſionis* 6. *Caſtelli animæ S.* M. Tereſiæ *ſplendore unico.*

Ne magnitudo aut multitudo revelationum & viſionum me extolleret, & ne earum delectatio me ſuper me efferret, datus eſt mihi multiplex tentator, qui multiplici tentatione & afflictione me affligat. Affligor enim tam in corpore & anima ab eiſdem, Corporis enim ſunt tormenta innumera, à multis dæmonibus multipliciter excitata. Vix enim credo, quòd ſcribi poſſent paſſiones & infirmitates mei corporis: nam non remanet in me aliquod membrum, quin horribiliter patiatur. Numquam enim ſum ſine dolore, ſine languore; continuè ſum debilis & fragilis, plena dolore, ſic quòd continuè oportet me jacere. Non eſt in me membrum, quod non ſit percuſſum, tortum, & pœnatum à dæmonibus, & ſemper ſum infirma, & ſemper tumefacta, & plena doloribus in omnibus membris meis, ſic quòd cum ma-